

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 220514f

Saturday 14.05.2022

Letter to the Holy Father's special envoy to the celebration of the 850th anniversary of the dedication of the Cathedral of Notre Dame of Tournai, Belgium (22 May 2022)

On 28 March 2022, the Holy Father appointed His Eminence Cardinal Jozef De Kesel, archbishop of Mechelen-Brussel, as his special envoy to the celebration of the 850th anniversary of the dedication of the Cathedral of *Notre-Dame* of Tournai, Belgium, to be held on 22 May 2022.

The special envoy will be accompanied by a Pontifical Mission, composed of the following ecclesiastics:

The Reverend Can. Olivier FRÖHLICH, vicar general of the diocese of Tournai;

The Reverend Fr. Étienne NTALE, provincial father of the Barnabites.

Letter of the Holy Father

Venerabili Fratri Nostro

IOSEPHO S.R.E. Cardinali DE KESEL

Archiepiscopo Metropolitae Mechliniensi – Bruxellensi

Venerabilis senectus Deo est et condicio decore dignitateque insignita et eminentia sapientiae: in Domino enim non quae est diuturna neque annorum numero computatur (cfr *Sap* 4, 8), sed bonus est fructus, qui in opere exiguum laboratur iuventutis excipientis doctrinam et demum editur de generationibus illius (cfr *Eccli* 6, 18-19). Quam non modo in hominibus, sed etiam ad domum ecclesiae collaudamus relatam, in qua summus angularis lapis Christus Iesus.

Haec considerantes, valde laetamur de octingentesimo et quinquagesimo celebrando anniversario a dedicatione

ecclesiae cathedralis Tornacensis Deo in honorem Dominae Nostrae die IX mensis Maii anno MCLXXI dicatae, cuius diutina sollertia iam per saecula efflorens praelaudanda est, divinarum laudum pio resonans decore, domicilium virtutum, apium curae perfugium, Evangelii lumine late advecto merito gloriosa, quae adhuc hodie indefessi pastorum laboris gratia mira eminet pulchritudine.

Tantam recolentes memoriam, quae anno praeterito simpliciore modo ob virus coronarium est celebrata, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat Nostramque erga istam communitatem manifestet dilectionem, Venerabilis Fratris Vidonis Harpigny, Episcopi Tornacensis, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram vertimus, qui, nobilissimae terrae Belgii praestantissimus filius, adiuncta Ecclesiae in illis regionibus Europae historiae atque humani divinique cultus et pastoralis operis inde propagati admodum comperis, ut hodie peraptus videaris ad Ecclesiae sollicitudinem per hoc ministerium tuum significandam. Idcirco, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnia, quae die XXII huius mensis Maii in eadem cathedrali agentur ad honorandos DXXXL annos eiusdem ecclesiae dedicationis.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationi Eucharistiae praesidebis, clerum et populum, necnon publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos cohorteris, ut in hac orationis domo humano instructa labore, summo angulari lapide ipso Christo Iesu, caelestis Ierusalem fiant imago, Spiritu vivificata, caritate coagmentata. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universae Tornacensis communitatis ibi congregatae.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem Nostram Apostolicam impertimus omnibus, qui celebrationi intererunt, trasmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter exposcentes, ut haec communitas fidelium, hunc laetitiae diem affectu sedulo celebrans, quod recordatione percurrit semper teneat in opere.

Ex Aedibus Vaticanis, die XII mensis Maii, anno Domini MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

FRANCISCUS
